


W 2. 40.



10

DISSERTATIO
IVRIS CIVILIS
CAPITA QVAEDAM
DE
PROBATIONE EX LIBRO
MERCATORIS
CONTINENS.

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV
PRAESIDE
D. HENRICO GODOFREDO BAVERO


HAEREDITAR. IN STOETTERITZ
COD. PROP. ORDINAR. ECCLES. CATHEDRAL. MERSEBURG. CAPITVLARI
SERENISS. SAXON. ELECT. A CONSILL. PROVOCATT. ET SVPR.
CVR. PROVINCIAL. ASSESS. FACVLT. IVRID. SENIOR. ET COLLEGII
DVCAL. MINOR. H. T. PRAEPOS.

D. XV. Ianvar. A. C. MDCCCLXXXIV.

IN AUDITORIO ICTORVM
PVBLINE TVEBITVR

A V C T O R
CAROLVS AVGVSTVS BREHM
LIPSIENS.

LIPSIAE,
EX OFFICINA KLAEBARTHIA.



PRO O E M I V M.

Non ostentatio, non vanae gloriae studium me mouit, ut, cum prima vice cathedram adscendam, idem scribentis partes sustineam. Debetur hoc viris doctis, ut, qui aliquando in eorum numerum excipi cupiat iuuenis, mature, quae ipse elaborauerit, diligentiae specimina, exhibeat, ipsorumque examini submittat. Ego vero hoc debo Illustri Ordini, cuius auctoritate in votis est Candidatorum numero adscribi, debo Parenti optimo, qui omnem in me monendo docendoque sollicitudinem collocauit, debo fautoribus denique, et praceptoribus in alma hac litterarum vniuersitate, qui ipsi, quos tulerim fructus laborum, quos in me augendo et perficiendo impenderunt, cernere et intelligere cupiunt.

Animus nobis haud est, in libello finibus tam angustis circumscripto vniuersam doctrinam de mercatorum libris et probationis genere, quod faciunt, exhaurire, quae in disciplina cum iuris Germanici vniuersi, tum patrii nostri, vtramque facit paginami. Neque propositum est, concinnare opus, quod virtute

te et elegantia sua doctorum virorum plausus captet, et cunctorum suffragia ferat, neque, quod solerti nouarum rerum adumbratione nouum cogitandi differendique campum aperiat. Prius nolui, cogerer enim multa peruvulgata et ab aliis iam vberius exposita denuo apponere, et in medium proferre: A posteriori libenter abstineo, neque enim per ingenii imbecillitatem licuit experiri. Itaque eius argumenti, quod mihi tractandum sumsi, singula capita elegi, quae in primis propter ius varium et controuersum ad disceptationem instituendam videbantur idonea, rationes in utramque partem exposui, meam denique qualemcumque sententiani adieci. Qua ratione ingenii vires expertus, si quid explanauerim copiosius, aut dixerim rectius, aut probabiliora propinauerim, aut in rerum causis indagandis felicior fuerim, licet prorsus nihil noui adiecerim, satis tamen et pro aerate et pro ingenio scripsisse, neque exspectationem de me aliorum, quae vixdum villa esse potest, fefelleris, mihi videbor.

CAP.

C A P . I.

Quae causa sub sit, ob quam Libris Mercatorum tantus in iure sit fauor?

Fides Librorum Mercatoriorum,^{a)} siue ab ipsis mercatoribus, siue ab institoribus concinnatorum, a fide scribentium pendere et fauore mercatura sustineri videtur. Omnia enim olim, cum mercatura in Germania prima incrementa caperet, quae in eius fauorem vergerent, a legislatoribus studiose arripiebantur, ut allicerentur, atque adeo pellicherentur animi hominum, qui huic studio operam impenderent. Inde nundinarum priuilegia, et, quae his annexa, geranii ius, emporii atque stipulae, originem suam trahunt, indeque etiam hic legalis commerciorum fauor descendit. Iстis enim temporibus luxuriosi solebant esse Principes in concessione Priuilegiorum, quae fauorem commercii spectabant.

Itaque etiam hanc peculiarem probationis instruenda methodum propriam esse voluerunt merca-

A 3 tori-

a) Eiusmodi libri appellantur: Maestro, Strazza. Quae voces e lingua Italica deponitae. Huiusque origines multa sunt, quae circa mercatorum negotia in pri-

mis in causis cambialibus occur-
runt vocabula, quoniam ex Ita-
lia commercia in terras nostras
penetrarunt.

toribus. Primum, vt eo facilior et expeditior reddetur probatio negotiorum eorum, quae e commercio prouenirent, simulque decisio causarum earum et litium, quae inter mercatores agerentur, citius perficeretur. Hanc ipsam ob rationem sapienter legibus constitutum est, vt causae omnes mercatoriae non secundum formam processus et iudicii ordinarii, quo saepius causa minoris momenti in longinquum tempus trahitur, sed missis istis, quae accidentalia in Processu dicuntur, aut tantum solemnitatis ergo peraguntur, summarie tractentur. Ne magna atque diffusa litigiorum cura a negotiis iis, quae commercium concernunt, auocentur atque retincentur mercatores, et vt lites e mercatu natae citissime finiantur.

Deinde hoc ipso Priuilegio Legislatores magnam fidei existimationem mercatoribus conciliare voluerunt, ita, vt ab omni fraudis suspicione aliena quaevis scripta dictaque ipsorum haberentur. Eo enim ipso alliciuntur homines, vt fidem facere non dubitent mercatoribus, quippe qui tantam honestatis speciem legum auctoritate suffultam praeseferant. Quis est, qui dubitet, hanc ipsam rationem ad exercitium commercii amplificandum promouendumque quam plurimum conferre? b) Quamobrem eiusmodi priuilegiis conseruan-

b) Eodem modo inter duos mercatores mera commendatio tertii seu fideiussio valet.

dis studiose inuigilarunt Principes sapientissimi ex magnaie politiae rationibus, a quo primum tempore cognouerant et intellexerant, efflorescentibus commerciis, florere rempublicam.^{c)}

CAP. II.

*Quo Iure, quae Iniuria, mercatores sibi
hoc priuilegium vindicent?*

Scripsit Imperator Gallienus:^{d)} Exemplo perniciosem est, ut ei scripturae credatur, qua unusquisque sibi annotatione propria debitorem constituit. Sane, ea si probandi methodus, quae fit per libros mercatorum, Romanis cognita fuisset, vere Gallienum existimarem, eam his verbis notare. Verum, quia^{e)} nullus idoneus testis in re sua intelligitur, aequre minus sola annotatione sua, nulla accidente subscriptione et subscriptio nate alterius, debitorem sibi quis conciliare valet. Ut potius, qui documentum a se ipso confectum producit, testis in propria causa habeatur. Ex quo in

^{c)} Neque tamen desunt, qui contrariam rationem defendant. Inquit enim, mercaturam invehere luxuriam, intemperiam, auaritiam, aliasque prauas cupiditates. Istius morum cor-

ruptionis atque depravationis illustre exemplum est in republi ca Romana.

^{d)} L. 7. C. de probat.

^{e)} L. 10. D. de Test.

regula contra scribentem probare, haud pro scribente, documenta, vel dupondiis cognitum est. Ut vero tam Germanorum consuetudine, quam particulari Saxonico iure, ei ciuium ordini, qui mercaturaे operam dat, per modum exceptionis, et per priuam adeo legem, hoc tribuatur, vt ex libris suis fidem aliquam facere possint, effecere rationes supra expositae. Quod priuilegium quo magis exorbitans et primo intuitu irrationabile videtur, eo fortiores aduersarios et detrectatores inuenit. Iſti autem vno ore conqueruntur de animo mercatorum prono propensoque ad fallendos decipiendosque alios, qui per artes, et omnis generis falaciam, commoda sibi vindicare, aliorumque opibus et facultatibus inhiare non dubitent. *Ingens itaque miraculum esse inquietunt, vt, cum hoc genus hominum sit ad lucrum turpiter faciendum cupidum et pronum, f.) virus et idem mercator industrios videatur et probus.* ^{g.)} Et cum Gratiano ^{h.)} mercatorem sine mendacio et perjurio plane esse non posse existimantes, iniquitatem veterum Germaniae legislatorum accusant, qui fidei mercatorum tantam, quanta nunc pollet, auitoritatem tribuere, ipsosque tam insigni priuilegio exornare non dubitauerint.

At

- f) L. 44. §. 1. ff. de Aedil. g) Demosthenes pro Phormio. Edicio. h) c. eiicens. Dist. 88.

At enim vero, hoc argumentum a seculi et morum depravatione ductum, ab isto tempore, ex quo priuilegium nostrum descendit, prorsus alienum est. Quippe veteres Germanos praecipua honestatis et integritatis existimatione et gloria, tanquam aliqua virtute cardinali, conspicuos fuisse, quis nescit? Vnde factum, vt, ex antiqua paroemia, *Ein Wort, ein Mann,* fidem etiam magnam sibi inuicem dederint.

Quod autem nostrorum temporum est, mercatores interdum fidem fallere, atque adeo priuilegiis suis abuti, non inficior. Sed hoc non mercatoribus proprium est; Si contra quidem et frequentius ab aliis, non mercatoribus, decipiuntur.

Praeterea non omnes fidem fallere, sed esse, qui magnam honestatis et virtutis speciem praeferant, quotidiana experientia docet. Et, quod cum lucro, magnoque saepe emolumento vendere soleant, id proprium est commerciorum, neque, dum saepius insignem bonorum partem fragili fortunae committunt, in iuidiam trahendum est.

Porro irregularem et monstrosum processum euadere dicunt aduersarii, in quo probatio ex Libro mercatoris admittatur, scilicet per recognitionem scripturae productentis propriae in iudicio a producto peragenda. Cum enim e norma processus tam ordinarii quam summarii recognitio documentorum tantummodo de alienis intelligatur, hoc loco producens librum principalem,

B

quem

quem ipse concinnauit, aduersario suo ita proponit,
vt is hunc recognoscere aut iustis ex rationibus diffite-
ri teneatur.

Videtur sane hoc respectuⁱ⁾ priuilegium illud
generales regulas ventilandi lites in iudiciis cuertere.
Sed oportet meminisse, priuilegium ius singulare con-
tinere, quod paululum aberrat a regulis Iuris et *contra*
tenorem rationis propter aliquam utilitatem auctoritate
constituentium introductum est.^{k)} Caeterum, cum
probatio haec lure Saxonico Electorali quodammodo
tantum inter mercatores obtineat, et secundum O. P.

R. t. 30. §. 4.

In Zukunft weiter nicht als wenn beyde Theile Kauf- und Handelsleute sind, locum sibi vindicet, consequitur, nos in eo, tanquam compromisso et conuentione societatis mercatoria, cui auctoritas legalis accessit, facile acquiescere posse.

i) Praeterea ceteris proba-
tionis instruendae rationibus
omni ex parte conformis et ac-
commodata esse debet probatio
ex maestro. Est scilicet post
litis contestationem suscipienda,

et intra ipsum terminum perem-
torium peragenda, quo elapsi
producturus non auditur, etiam si
aduersarius non accusauerit con-
tumaciam.

k) l. 15. 16. d. LL.

CAP.

CAP. III.

*An Causa Debendi in Libro Mercatoris sit
necessario exprimenda, ut ad probationem
faciendam sit idoneus?*

Non qualemcumque mercatoris librum probare, sed eundem ita esse debere comparatum, ut ex norma legibus praescripta ad probationem instruendam sit idoneus, explorati iuris est. Quemadmodum enim, omne documentum in iudicium adductum multisariis tam intrinsecis quam extrinsecis qualitatibus esse exornatum, oportet, quae, si absunt, omni valore destituitur, aequo in eiusmodi documento priuato, qualis est liber mercatorius, tam ratione personae producentis, quam ratione materiae et formae bene multa essentialia ac solemnia requiruntur, in quibus examinandis ventilandisque, antequam de eius fide aliquid decerne-re audeat, in primis diligenter versari debet iudex. Quae omnia et singula enumerare nolo. Vberius enim et copiosius a viris doctis exposita leguntur, neque cramben centies recostam iterum apponere fas est.

Potius de eo, quod in hoc genere alicui controversiae ansam praebere potest, sententiam qualemcumque meam aperiam. Placuit nonnullis affirmare, non esse necessarium, ut in libro mercatoris causa debendi sit expressa, idemque minus, ac aliis in documentis. Posse

=====

enim aliis adminiculis causam debendi facile suppleri. Vitque sententiae suae aliquam veritatis speciem addant, ex analogia Iuris a documentis guarentigiat exemplum repetunt, ad quorum valorem legitimum expressionem causae debendi specialem Iur. Sax. Elect. neutiquam requiri, notissimum est.¹⁾

Mihi tamen contraria sententia magis arridet. Cum enim in causis tantummodo mercatoris probatio ex eiusmodi libris obtineat, causa ipsa debendi eam ob rationem mihi adiicienda videtur necessario, ut scilicet confessim appareat, an debitum illud, de quo agitur, ex causa ad mercaturam pertinente proueniat, nec ne. Qua de re quam, omissa debendi causa, non videam, quomodo constare possit, vim probandi mercatoris libro ob eiusmodi defectum tribui non posse, existimo.

CAP. IV.

*An consultum videatur, hoc Priuilegium
Mercatoribus datum nostro iure tanto-
pere restringi?*

Huic priuilegio tam actori ad probandum fundatum libelli, quam reo mercatori ad defendendas exceptiones competenti maiorem olim vim atque efficaciam

1) In Appendice ad O. P. R. §. 5.

ciam fuisse, quam quae nunc obtinet atque superest,
praeter iuris patrii historiam, fidem facit O.P. S. Tit.
XXX. §. 4.

Vt videlicet productio libri principalis mercatorii, praevia recognitione, ad probationem plenam et perfectam efficiendam sufficerit. At enim vero mox ita restrictum est priuilegium, vt pro exemplorum discrimine indueret speciem probationis imperfectae, secundum diuersitatem circumstantiarum mox probationis semiplenae, mox semiplenae maioris, mox minoris vim habentis, cuique ideo aut testis aut iurisiurandi auctoritas assistere debeat. Non enim in restrictione ad causas mercatorias substitut priuilegii nostri limitatio, vt potius, nisi ex vtraque litigantium parte mercator subsit, multum eius valori detractum esse, ex laudata patria lege appareat.

Videri possit haec nostri priuilegii circumscrip^{ti}o sapere iniquitatem. Si plurimum quidem fidei libris mercatorum denegari conspicimus, quando cum aliis non mercatoribus res agitur; ita, vt ne semiplenam quidem regulariter faciant probationem, sed, deficien^tibus aliis adminiculis, purgatorium reo imponendum operentur. Quod multis scrupulum iniecit, dubitationemque, rectene ex persona aduersarii fidei quicquam probandi mediis ab actore allatis adiici possit, an detrahi. Verum enim vero, si quid video, salua res

B 3 est,



est, sapientique consilio Llator Serenissimus maiorem mercatoris libro probandi efficaciam largitus est contra mercatorem, quam contra extraneum. Non suspicatus, fore, vt vberior pleniorque sit mercatoris in mercatorem dexteritas quam in alios, sed ratus, natura aequum esse, vt, quam sibi vindicet mercator fidei plenitudinem, eandem vicissim tribuat mercatori; Iniquum contra, ab extraneo exigere, vt eius scripturae confidat, qui villam suae fidem habere nolit. Ex quo patet, contractum vel quasi, insignem illam probandi vim mercatorum libris inter mercatores quodammodo operari, natura sua ab aliis omnibus alienum. Et magis esse, vt mercatores de eo glorientur, qui libris eorum contra extraneos tribuitur, effectu, quam vt conquerantur.

CAP. V.

Quae sit ratio iurisiurandi occasione huius probandi generis obnii?

Mercatoris liber plenam per se probationem ne contra mercatorem quidem facit. Iurisiurando potius opus est. Cuius rei rationem variis difficultatibus et subtilitatibus implicata paulo accuratius dispiciamus. Si interdum quidem voluntarium sufficit, interdum necessarium praeterea requiritur. Illud, si mercato-

catores litigant, hoc, si mercatori negotium est cum
extraneo. Vtrumque nobis insinuat O. P. S. R. d. Tit.
XXX. §. 4. dum docet, iuratam libri confirmationem
facienda probationi, causa inter mercatores agitata,
suppetere, si securus, praeterea vel rei extranei purgato-
rium, vel actoris suppletorium ad litem finiendam ne-
cessarium esse. Verba in d. §. obvia, *wenn solche ver-*
mittelt Eydes bestärkt, possunt in eam opinionem indu-
cere, praeiuum confectioni libri mercatorii iusiurandum,
quo mercator vel institutor promiserit, se omnia
vti gerantur, bona fide conscripturum esse, non suffi-
cere, sed oportere, vt assertorium iusiurandum acce-
dat, qua fides fiat, omnia conscripta veritati rebusque
gestis esse cōsentanea. Partim, quia haec est natura
hominum, vt suscepit officij immemores, ex incuria in-
terdum, non malo animo, a vero aberrent. Quam ob-
rem assertorii maior, quam promissorii iuramenti fides,
maiorque, si vterque peierauerit, perjurii poena. Par-
tim, quia dicta verba, *wenn solche eydlich bestärket wor-*
den, auctum subsequentem magis innuere videntur, quam
antecedentem. ^{m)} Verum quia dici nequit, iuratam
confirmationem deesse libro, quem iusiurandum pro-
missorium anteieruerit, et quia praeterea scimus, praxi
a multiplicatione iuramentorum abhorre, durumque
existimare, eo aliquem compellere, vt propriam turpi-

^{nominibus}
m) videtur haec esse Thom. Heymij de Stylo Curiae. Lib. V.
Tit. II. §. 9. sententia.

tudinem

tudinem confiteatur; Ut proniora potius sint iura, quemlibet bonum, quam malum, praesumere, lubens subscribo communis interpretationis opinioni,ⁿ⁾ promissorum aequae, ac assertorium iusurandum regulariter, id est, si doli indicia desint, ad fidem mercatoris libro conciliandam sufficere. Caeterum commendationem, quae libro mercatoris ex iure iurando accesserit, semel factam suppetere, non iteratam ex obliterata noua lite desiderari, partim ex praemissis, partim ex iis, quae ab iudicatis traduntur interpretibus, intelligitur. Qui praeterea simul monent, a mercatoris arbitrio pendere, curare malit, ut insitor, qui instruxerit, et concinnauerit librum, de eius veritate iuret, an ipse eius rei causa iuramentum credulitatis praestare, ac posse hoc iusurandum, coram iudice causae controversae, alioue quolibet, praesente aduersario, vel absente et ignorantie eo, iurari. Quemadmodum vero iurata asseueratio, vera esse, quae in mercatoris libro contineantur, probationem contra mercatorem suscepitam perficit, eam aduersus extrancum nihil operari, eadem §pho 4ta docemur. Cuiusmodi lites videlicet legitimus, quanquam actoris petitioni eiusdem liber auxiliatur, per iusurandum rei purgatorium esse dirimendas, vel, si alia admicilientur, per suppletorium actoris, vtrumque non ad librum mercatorium, verum ad ipsum litis obiectum dirigen-

ⁿ⁾ v. HOMMEL. Promtuar. s. v. Liber mercatorius num. 13.

27

dirigendum, fidemque iudici, vera an falsa sit actoris petitio faciendam. Ex quibus colligo, adducto a mercatore contra extraneum in probationem libro suo, legitimis requisitis adornato, interesse nihil, iurecurando auctoris fulciatur, an minus, purgatorium potius in utroque exemplo reo indulgendum, iuratoque an iniurato libro si alia accedant, ex quibus verisimilis, non omnino vera actoris petitio appareat, huic suppletorum esse decernendum. Prudentique adeo consilio, ne contingere possit, ut iusiurandum aduersari iuriu-rando videatur, Serenissimus Llator iussit, iusiurandum litis decisorium ad ipsam rem controuersam dirigere, mentionemque libri in probationem adducti nullam facere. Caeterum, si mercator mercatorem aggressus ad probandam petitionem libro iniurato usus fuerit, per se quidem intelligitur, purgatorio locum dari non posse, suppletorum tamen magis actori imponendum esse, quam iuratani libri confirmationem, crediderim. Hoc enim quia rem litigiosam proxime ferit, totamque ex-haurit, communi decisionum regulac respondet, ipsi-que Llatori magis, ut videtur, arridet.

C

CAP.



CAP. VI.

*Quid iuris sit circa probationem ex libro
mercatoris infamis, et eius, qui bonis
cesserit.*

Quanquam in genere Iudex bonitatis et malitia parium incurius, factae probationis merita in se considerata spectare debet, testium tamen fidei, quemadmodum turpia facta multum detrahunt, ex honestatis dexteritatisque praesumtione non parum commendationis accedit. Debetque adeo in primis sancta fides ex parte eius requiri, cuius in re propria assertis et scriptis tanta vis auctoritasque tribuatur. Ut contra omnes ii excludantur et remoueantur, in quos famosi alicuius delicti suspicio cadit, et qui a depositione testimonii legum auctoritate repelluntur.

Sunt, qui inter infamiam notoriam, alteri contrahenti ab initio cognitam, eidemque ignotam, vel, contractu celebrato, superuenientem distinguunt. Ut, huius illiusue modi exemplo oblato, mercatori probationem facere cupienti fidem habendam esse, negent. In isto vero hac formula ingrediantur, ut dicant; Qui scienter cum infami mercatore contrahit, eius conditionem approbasse videtur, et exceptioni, quae alias ipsi

ipſi competēret, renunciāſſe praeſumitur.^{o)} Equidem lubens fateor, hoc ratiocinio me non conuinci, vt talis viri libro probationem contra mercatorem perfici largiar. Regula quippe, ad quam prouocant, nec proprio facto ſibi contractam, ſed legum praeceptis eformatam, ſupponit conditionem, vi cuius, quod exemplo fit, viginti quinque annis minor ex cambio nec ſcienti, nec ignorantि obligatur, nec ad probationis modum, ſed obligationis naturam pertinet. Igitur, qui cum homine nauci, et ſubleſſae fidei ſciens rem habet, de ſe quidem, ſuaque facilitate circumuentus queri debet, vt vero eius in re ſua testimonium, tanquam idoneam probationem, admittat, neutiquam confequitur.

Quae de libris mercatorum infamia laborantium dicta ſunt, non omni ex parte ad codices ſcriptos eorum quadrant, qui bonis ceflerunt. Etenim non omnes, qui bonis cedunt, infamiam incurront, vt ne leuis notae maculam quidem omnibus aspergi dixerim. Ut potius, diſtinguamus, oporteat, inter decoctores fraudatoresque dolofos, et, qui hiſ accenſentur, et inter eos, qui infortuniis, legitima ratione probatis, preſſi flebile hoc beneficium impetrare coguntur. Priores quidem, vulgo qui Bancoruptorum nomine veniunt,

C 2

ne

^{o)} Lege 29. C. de Pactis, quam vulgo allegant, prorsus nihil probatur.

ne umbram quidem probationis ex librī suis facere,
exploratum est.

Quemadmodum vero posteriores fidem coacti,
non temere, fallunt, ideoque pro notatis iure non ha-
bentur, ipsorum libris probationis vim haud denegan-
dam esse, existimo. Neque enim casus et aduersa for-
tuna fidem tollunt, modo, librum iusto ordine con-
cinnatum esse, appareat. Hi igitur non modo ad id,
quod sibi ab aliis debetur, demonstrandum, verum et-
iam ad probationem cessionis non fraudulenter factae
admittendi sunt. Quamobrem eorum sententiae sub-
scribere non possum, qui ex tabulis bancoruptoris con-
stare dicunt de negotiis ante bonorum cessionem peractis.
Etenim, quemadmodum de odiosis ad fauorabilia, de
obligatione ad priuilegia aequē minus consecutio pro-
cedit, atque fauore alicuius constituta in eius odium
detorque non licet, per se patet, quod HAYMIVS P)
defendit, l. 4. §. 1. D. d. Edend. ad fulciendam hanc
thesin facere nihil posse, ut potius, quia malus in eodem
delicti genere talis semper praesumitur, tempisque, quo
fideliter ac dextre agere desierit, nemo scire et con-
stituere potest, rectius mihi defendere videar, libro a
mercatore conscripto, de cuius fraude constiterit,
plane nihil probari, quia in aprico est, mercatorum
priuilegium, quod in fidei insignis nititur existimatione,

perti-

P) d. Styl. Cur. Lib. V. Tit. II. §. 8.

pertinere ad eum non posse, qui male cum aliis egerit, suamque aliorum periculo fortunam superstruxerit.

De fide mercatori, qui, postquam cesserat banis, mercaturaे iterum incumbit, eiusque codici non viter constructo habenda quid sentiendum sit, ex praemissis non minus subsumere licet, nimirum inter decotorem pro doloſo secundum leges habendum, eumque, qui aduersae fortunae succubuerit, esse distinguendum.

C A P . V I I .

Num probent Codices a foemina mercatrice confecti?

Li profecto aequitatis parum studiosi esse videntur, qui foeminas fauoris eius, qui in priuilegio nostro continetur, participes reddere dubitant. Quanquam enim, ubi solemnitates requiruntur, foeminarum auctoritas interdum nulla est, quanquam dignitate viris inferiores ad munus publicum censentur admittendi non esse, quanquam facilius iis persuaderi decipiique posse, et ob id non solum in grauioribus negotiis curatoris consilio instruendae et miseratione dignae, mox exceptione iuuandae, mox beneficio restitutionis sustinendae esse videntur, quae profecto cum priuilegio, in grauitatis constantiae san-

[decorative separator]

Etatisque praesumtione collocato, non admodum conspirant: Considerandum tamen est, haec omnia esse regulae, quae in muliere mercatrice exceptionem patitur. Haec enim priuilegiorum, quae ex miseratione descendunt, v. c. exceptionis ex SCto Velleiano petitae,^{q)} immunitatisque ab obligatione cambiali^{r)} expers, dum istam, quam natura sua habet, infirmitatis speciem prorsus exuere et abiicere videtur, merito eidem, ex quo tempore mercaturaे incubuit, cuncta, quae masculis propria sunt, iura et priuilegia tribuuntur. Idque ex ratione iuris, quae natura aequum esse constituit, ut eius rei commoda eum sequantur, ad quem incommoda pertineant.

Vt solum, vbi immatriculatio, (*die Gewinnung der Kaufmanns-Compagnie*) vsu venit, diligenter curet foemina mercatrix, quo eius nomen in albo mercatorio notetur. Priusquam enim hoc contigerit, mercatrix non habetur, eamque ob causam priuilegia mercantium frustra sibi vindicare studet. Cuius necessitatis tamen exceptio est in vidua mercatoris, negotiationi a mari-to coepiae inuigilante, eamque continuante.

q) v. Mencken. ad Pandect. r) Append. O. P. S. R.
Lib. XVI. Tit. I. §. 4. §. II.

[decorative separator]

CAP. VIII.

*An Libri eius probent, qui Mercator esse
suo desierit.*

Cum supra viderimus, fidem librorum mercatoriorum non ultra negotia mercaturam concernentia extendendum esse, et ad haec pertinere, quis dubitet, qui mercator esse desierit, propterea non destitui facultate, in probandis debitis ex mercatura profectis, actoris partes vel rei sustineat, ad librum suum recte prouocandi. Quum non appareat, fide, qua ab initio dignus reputabatur, cur postea debeat priuari, modo constet annotationem tempore contracti negotii factam esse.

Dein, hoc mercatoris priilegium, longa licet interposita mora, intra quam nullae ab ipso negotiations confectae sint, quieuerit, primo actu emtionis venditionis denuo mercatus causa factae reniuiscere.

Notandum etiam, qui semel animum ad mercaturam aduerterit, praesumi esse et manere mercatorem, donec animum suum declarauerit ipse in contrariam partem.

Quemadmodum enim unusquisque regulariter talis esse praesumitur, qualis olim fuit, ita Vlpianus affimat in l. 22. ff. de Probat.

Qui voluntatem mutatam dicat, probare hoc debere.

Quod

[decorative line]

Quod autem probationem ex libris mercatorum mortuorum attinet, sententiae eorum minime nostro iure suffragari licet, qui, mortem instar iuramenti esse, paremque cum eo efficaciam habere, autumant, adeoque sibi persuadent, solam adnotationem et inscriptionem factam in libris rationum neque ante mortem deletam aut reuocatam fidem plenam mereri. Mercatorem tamen vel institorem vtrumque virum integræ famae iurare paratum et morte praeuentum tamē veri præsumptionem inferre, cui suppletorium superstrui facile possit, modo lis inter mercatores agatur, certum habeo. Audi enim Imperatt. in l. 6. C. de Probat. rationes defuncti, quae in bonis eius inueniuntur, ad probationem sibi debitae quantitatis solas sufficere non posse, nepe rescriptum est.

bono

CAP.

CAP. IX.

*An statutum, quod mercatorum libris ple-
nae probationis efficaciam tribuat, sit va-
lidum?*

Qui de augenda et amplificanda vi probationis, quae mercatorum codicibus inest, cogitauerunt, vel co contendunt, ut plenae probationis vim ei conciliarent. Ut si mercator diem supremum obierit, tantam fidem adnotacionibus habendam esse velint, quae neque iure iurando, neque teste auxiliante indigeat. De Hamburgen-sibus eiusmodi statutum demortui mercatoris libro plenam fidem tribuens, notum est^s). De cuius tanquam legis singularis valore, ciuos et extraneos quod attinet, dubitare non licet. Huc enim, cuius supra mentio fiebat, in primis pertinet regula, quemlibet gnarum esse debere conditionis eius, cum quo contraxerit.

Quoniam tamen intellexi, eruditos non conuenire in valore, statutis eiusmodi constituendo, quid equidem sentiam, profitbor. Et si quidem Collegium statutis a se conditis tale sibi ipsi priuilegium adscripte-
rit, illud, Principis confirmatio accesserit, an minus, collegii quidem membra, quasi ex pacto, sibi inuicem obligare, contra extraneos vero, ciues ii sint, an per-
egri-

^{s)} v. WERNHER. P. X. Obs. 362.

egrini, quia res inter alios acta alios non obligat, quicquam efficere haud posse, existin o. Sin vero statuta vr-
bis a Magistratu cum ciuibus ex rata, Principis aucto-
ritate suffulta, tale quid inferant, distinguendum esse
duco, publici iuris facta sint, an minus. Haec enim
solos ciues, illa, vt supra monui, omnes obligare duco.
Caeterum iuriurandum ab autore libri coram quolibet iu-
dice praestitum, quo assuerauerit, vera esse omnia,
quae eo contineantur, adeo plena probationis effica-
ciam inferre, vt, lite cum mercatore oblata, nouo iu-
ramento non opus sit, quae communis est interpretum
sententia, rationique secundum ea, quae Cap. V. attuli,
consentanea, quia iurisiurandi necessitatem non omnino
eximit, neque noui quicquam tribuit, vt generali po-
tius mercatorum priuilegio contineatur, huc non per-
tinet.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S .

*Paucis, antequam a libello tuo discedam, Te alloqui
debo. Partim, ut significem, quanti nouum hoc ami-
citiae Excellentissimi Consultissimique Parentis Tui docu-
mentum faciam. Cuius et si magna et varia inde a prima
iuuentute mea habeo, hoc certe inter praecipua colloco,
quod Te filium unum, et optimae spei, id agentem, ut
primum iurisscientiae tuae specimen publice ederes, meo
praesidio tradidit. Partim, ut Tibi ipsi declarem, me
libellum hunc tuum, profiteor enim palam, fere omnia
tua esse, quem cum quadam tergiuersatione suscepseram,
soleo enim lubentius mea scripta defendere, (nec est inter
septuaginta, et quod excurrit, quas publice habui, differ-
tationes, nisi una, de modo in tortura habendo, inscripta,
quam non solus elaborauerim,) hunc igitur libellum tuum
cum voluptate perlegisse, et, postquam talem cognos-
veram, cui patrocinium meum qualecunque lubens praec-
starem,*

~~~~~

starem, otium a Te mihi, aliis laboribus tantum non  
oppresso, factum vehementer gratulatum fuisse. Maecte  
igitur virtute Tua, et premendo Celeberrimi Patris et Auunculi  
vestigia, uberrima quantocys collige, firmissima va-  
letudine instructus, diligentiae praeenia, meque Patris,  
Auunculi. Tuique ipsius amantissimum amare etiam in  
posterum non desine. Scribebam Lipsiae, d. XI Ian.  
A. C. MDCCCLXXXIV.

~~~~~

~~~~~

Kg 4999. 3<sup>b</sup>

f

ULB Halle  
004 526 201

3



5b

KO17



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

DISSESTITO  
IVRIS CIVILIS  
CAPITA QVAEDAM

DE

PROBATIONE EX LIBRO  
MERCATORIS  
CONTINENS.

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV

PRAE SIDE

D.HENRICO GODOFREDO BAVERO  
HAEREDITAR. IN STOETTERITZ

COD. PROF. ORDINAR. ECCLES. CATHEDRAL. MERSEBVRG. CAPITVLARI  
SERENISS. SAXON. ELECT. A CONSILL. PROVOCATT. ET SVPR.  
CVR. PROVINCIAL ASSESS. FACVLT. IVRID. SENIOR. ET COLLEGII  
DVCAL. MINOR. H. T. PRAEPOS.

D. XV. IANVAR. A. C. MDCCCLXXXIV.

IN AVDITORIO ICTORVM

PVBLINE TVEBITVR

A V C T O R  
CAROLVS AVGVSTVS BREHM  
LIPSIENS.

LIPSIAE,

EX OFFICINA KLAEBARTHIA.

